De origine servitutis. — Partic. I.

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ᾽ἐστιν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ,
Δοῦλον γενέσθαι . . . .
Aristoph. Plut. 1—2.

§. 1.

Notio servitutis adumbratur.

Servitutem recte, ut videmur, sic definimus, ut sit ea vitae condicio, qua quis non ut homo liberaliter et humane, sed tanqnam res quaedam vitae particeps tractetur, naturae ac dignitatis humanae aut nulla habita ratione aut non iusta et aequa. Namque servi et possidentur ut res [1]), et sunt dominorum tanquam supellex et instrumentum [2]). Itaque ut ceteras res, ita multis modis acquiruntκτῶνται - domini servos [3]). Et ut servorum nomina multa sunt ex generibus acquirendi - δμώς, οἰκεύς, ἐωνημένος (passiv.) . —, ita etiam dominus, quod servos habet, nominatur possessor, κεκτημένος . . . [4]) Neque minus servis quam reliquis rebus domini utuntur quacunque placuerit ratione, ut ne vitae quidem ac necis potestas ullis

---

[1]) Ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον Aristot. polit. 1, 2, 4 (Schneider). [2]) Ὁ γὰρ δοῦλος ἔμψυχον ὄργανον, τὸ δ᾽ ὄργανον ἄψυχος δοῦλος. Aristot. Eth. Nic. 8, 11, 7. — Er (der Unfreie) hat durchaus gar keine Rechte und gilt dem Thiere, so wie überhaupt der beweglichen Sache gleich. Phillips deutsche Geschichte I. p. 103, [3]) Hermann. (Privatalterth. §. 12. No. 9), isti κτήσεως τρόποι in tria genera divisi sunt. [4]) cf. e. c. Aristoph. Plut. 4. 7 . . . .

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

civitatum legibus coerceri soleat [5]), atque Athenis etiam impune servus a domino necatus sit [5b]. Sunt enim servi ab omni parte in potestate dominorum atque ex eorum nutu et arbitrio, ne dicam libidine pendent. Quod optime explicat Aristoteles his verbis: *Ὁ μὲν δεσπότης τοῦ δούλου δεσπότης μόνον, ἐκείνου δ᾽ οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ δοῦλος οὐ μόνον δεσπότου δοῦλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἐκείνου.* [6]) Unde servus *ὅλως οὐκ ἔχει βουλευτικόν* [7]), atque obedit arbitrio carens suo [7b], quippe cuius corpus pars praestantior sit [8]). Cumque praeterea usus et fructus servorum ex corpore maxime percipiantur [9]), animi adeo saepe nulla ratio nullusque locus est, ut haud raro servi dicantur corpora, *σώματα* [10]). Et ut magis etiam eluceat, qui sit servi status, is non semel domini dicitur pars corporis [11]); quocum amicitiam conciliare non magis iustum sit quam cum equo et bove aut cum reliquis etiam inanimis [11b]. Quae quum ita sint, facile intelligitur, ex veterum sententia in servum omnia licuisse, nec mirum etiam,

---

[5]) Gai instit. 1, 52: „Apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitae necisque potestatem esse.“ Phillips, deutsche Geschichte I. p. 105: Der Unfreie (Deutsche) konnte wie das Thier getödtet, geschlachtet werden. [5b]) cf. Herm. Staatsalterth. §. 114, 9. Probatur illa *ἀκολασία* etiam a Platone legg. p. 865. d: „*ἐὰν δὲ (τις) αὐτοῦ δοῦλον (κτείνῃ), καθηράμενος απαλλαττέσθω τοῦ φόνου κατὰ νόμον*“. [6]) Polit. 1, 2, 6, (1, 4.) [7]) Ibid. 1, 5, 6 (1, 13). [7b]) Cic. Parad. 5, 1.) [8]) Aristot. Polit. 1, 2, 13. [9]) *διακονήματα σωματικά. – ὑπηρεσίαι σωματικαί.* e. c. Aristot. polit. 1, 5, 3 (1, 13) [10]) e. c. Liv. 5, 22. Cyrop. 7, 5, 73. Nonnumquam explicatius: *σώματα οἰκετικά, σώμα ἀνδρεῖον, σώμα γυναικεῖον.* [11]) Aristot. Polit. 1, 2, 20 (1, 6): *ὁ δοῦλος μέρος τι τοῦ δεσπότου, οἷον ἔμψυχόν τι τοῦ σώματος, κεχωρισμένον δὲ μέρος.* Idem alibi. Unde illa iuris Romani lex: Quodcunque per servum acquiritur, id domino acquiritur. [11b]) Aristot. Eth. Nic. 8, 11, 7. Separat quidem cogitatione Aristoteles h. l. et aliis nonnullis servum ab homine, dicendo *ἢ δοῦλος, καθ᾽ ὅσον δοῦλος.* Idem alii philosophi nonnunquam. Sed quod cogitatione sejungunt, id re unum. Itaque parum inde profecerunt. Optime de hac re Ritter. (Geschichte der Philosophie III. p. 361, 2te Auflage): In der That weiß man nicht zu sagen, wo im eigentlichen Sclaven des Aristoteles noch der Mensch bleibe, und warum er nicht vielmehr hätte sagen müssen, ein Mensch sofern er Mensch, könne nicht Sclav sein.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse, qui, essetne servus homo, serio dubitare non erubescerent. [12])

Ista fere totius antiquitatis de servis opinio. Cui rei non refragatur, quod aliqua iura servorum in quibusdam civitatibus fuisse legimus, aut tractatos benigne quosdam servos memoriae proditum est. Ita enim homines natura comparati sunt, ut non quaecunque licere putantur, opere ea promiscue perficiant, ac meliora saepe eorum sint studia quam sententiae. Omnis autem res servilis vel universae reipublicae vel singulorum civium utilitatem sequebatur atque omnino dirigebatur ad illorum commoda: quae ex servis nimis neglectis crudeliusque tractatis aut nulla erant aut certe minima. Itaque si qui in servos fuerunt nimis duri et asperi, si qui mites et lenes, non servorum causa illi quidem aequitatem aliquam servandam esse crediderunt, sed quo, tamquam fenerantes humanitatem, maiores ex servis caperent utilitates, magisque iniurias defenderent eorum sibique prospicerent. Ex antiquitatis igitur sententia Xenophon [13]) propter *libera* capita ait servos verberari Athenis leges vetuisse, ne quo errore civium quis pro servo vapularet. Simili quadam ratione Plato [14]) beneficia censet conferenda esse in servos non tam servorum quam eorum causa, qui illa collocent.

---

[12]) cf. Gallus von W. A. Becker I. p. 126. Apponam Juvenalis versus pulcherrimos VI, 218: Pone crucem servo. — Meruit quo crimine servus Supplicium? Quis testis adest? Quis detulit? Audi, Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est. — O demens! ita servus homo est? Nihil fecerit, esto: Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. [13]) De rep. Ath. 1, 10: *τῶν δούλων . . πλείστῃ ἐστὶν ἀκολασία Ἀθήνησι, καὶ οὔτε πατάξαι ἔξεστιν αὐτόθι (δοῦλον), οὔτε ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος. Οὗ δὲ ἕνεκέν ἐστιν τοῦτο ἐπιχώριον, ἐγὼ φράσω. Εἰ νόμος ἦν, τὸν δοῦλον ὑπὸ τοῦ ἐλευθέρου τύπτεσθαι . . . . , πολλάκις ἂν οἰηθεὶς εἶναι τὸν Ἀθηναῖον δοῦλον, ἐπάταξεν ἄν. Ἐσθῆτά τε γὰρ οὐδὲν βελτίων ὁ δῆμος αὐτόθι ἢ οἱ δοῦλοι, καὶ τὰ εἴδη οὐδὲν βελτίους εἰσίν.* — Vix opus monito est, his ac similibus locis non dominorum, sed alienorum in servos licentiam coërceri. [14]) Legg. VI. 776 a — 777 d. Alia praeterea congessit Becker. Charicles II, p. 47. (1te Auflage.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quare dominis ita agendum sit et quo illa Platonis praecepta spectent, docemur etiam ab Aristotele [15]: *Τὸ κακῶς(δεσπόζειν)ἀσύμφορόν ἐστιν ἀμφοῖν* (i. e. domino non minus quam servo). *τὸ γὰρ αὐτὸ συμφέρει τῷ μέρει καὶ τῷ ὅλῳ . . . ὁ δὲ δοῦλος μέρος τι δεσπότου.* Denique metu, ne vel aufugerent servi vel irae exardescentis stimulis concitati iniuriis iniurias ulciscerentur, tanquam dira quadam necessitate homines liberi constricti a contumelia et immanitate saepenumero retrahebantur. [16]) Postremum etiam hoc loco suam vim habet illud Horatii: „Naturam expellas furca, tamen usque recurret." Itaque genus hominum humanitatem nunquam adeo exuit et amisit, ut inopia et calamitate eorum, qui in ultimis miseriis versarentur, ad misericordiam non sit revocatum. Sed ut philosophos diximus nequidquam cogitatione separasse a servo hominem, ita inanis fere iste humanitatis sensus [17]), quo, quin latius serperet servitus et tristior in dies evaderet, nequaquam impeditum est.

§. 2.

Non fuisse illam servitutem ab initio; quid de illius ortu literarum monumentis declaretur.

Illam autem servitutem initio non fuisse, omnes, opinor, facile

---

[15]) Polit. 1, 2, 20. (1. 6). [16]) Quemadmodum Strepsiadem Aristoph. Nub. 5 querentem inducit: *Ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα Ὅτι οὐδὲ κολάσαι ἔξεστί μοι τοὺς οἰκέτας.*

[17]) Rem exemplo illustrabimus: Quo tempore expugnatus terrarum orbis in populi Romani potestatem venerat atque ingens hominum copia immani atque intolerabili servitute vexabatur, provinciis praefecti haud raro misericordia commoti succurrere afflictis in animum inducebant. Sed ne inciderent in invidiam dominorum, qui maximam partem erant equestri ordine, istam mancipiorum calamitatem non sublevabant ac suam quisque provinciam impune diripi ac vastari sinebant. Nam quod domini asperos se ac rigidos exhibebant in imperando et victus vestitusque servorum vix ullam curam gerebant, miserrima illa servitiorum plebecula rapinis ac praedationibus vitam sustentabat totaque in caede et ex caede vivebat. Cf. de omni hac re Diod. Sic. fragm. l. 34 init. Ita alia aliis temporibus obstabant, quominus servi diro iugo exonerarentur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

concedunt: neque opus est appositis rationibus probare, quod christianorum quidem hominum nemo ignorat. Nimirum quae fuit generis humani origo, ea servitutis ullum locum esse non patiebatur. Atque poëtae, verbi causa, Graeci et Romani auream quam dicebant aetatem, quod temporum initium esse volebant, ita effinxerunt, ut ab illo aureo hominum genere ne bobus quidem vis ulla unquam allata sit.[18]) Neque tamen explicant, qui factum sit, ut expulsis e terra virtutibus vis etiam et violentia cum aliis sceleribus irrumperent atque in homines recte putarentur usurpari: satis habent adnotasse, evasisse aliquando deteriora omnia. Et Homerus quidem[19]), quum Cyclopum mores exprimit, tantum abest, ut exquisitiora de prisco hominum vitae genere afferat, ut temperata quodam modo et mixta cyclopum vita videatur ex aureo illo hominum genere et quod deinde secutum est deteriore ac depravato.

Eadem fere, quae apud poëtas obtinet ratio apud eos, qui soluta oratione scripserunt. Principio enim non desunt loci, quibus non fuisse servitia aliqua in regione aut aliquo in populo contenditur. Quorum celeberrimus est ille Herodoteus,[20]) quo historiae pater rixas inter Athenienses et Pelasgos ortas narrat his verbis: (*Ἀθηναῖοι λέγουσι,*) *κατοικημένους . . τοὺς Πελασγοὺς ὑπὸ τῷ Ὑμησσῷ, ἐνθεῦτεν ὁρμεωμένους, ἀδικέειν τάδε· φοιτᾶν γὰρ ἀεὶ τὰς σφετέρας θυγατέρας τε καὶ τοὺς παῖδας ἐπ' ὕδωρ ἐπὶ τὴν Ἐννεάκρουνον. οὐ γάρ εἶναι τοῦτον τὸν ἐχρόνον σφίσι κω οὐδὲ τοῖσι ἄλλοισι Ἕλλησι οἰκέτας κ. τ. λ.* Haec verba ita ab Herodoto sunt proposita, ut Atheniensium illa fuisse pro certo statuendum sit, non aliunde petita. Dixerit forsitan quispiam, tunc non placere verba „*τοῖσι ἄλλοισι Ἕλλησι,*“ ut quae in re proposita sedem atque causam non habeant, sed aliunde arrepta sint; istam narrandi rationem alienam esse a sermone et usu communi.

---

[18]) Cic. N. D. II, 63, 159. Ovid. Metamorph. 1. 88 sqq. Virg. Ecl. IV. [19]) Odyss. 9, 106 sqq. [20]) Herod. 6, 137.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed etsi illa verba, si abessent, a nullo desiderarentur, tamen non sunt ejus modi, ut suspectam reddant totius loci naturam aut a scriptoris fide quicquam detrahant.

Ergo, caruisse quondam Atticam et universam Graeciam mancipiis, non est, quod accepisse a maioribus Athenienses negemus. Nec vero ea, quae accepta a priscis hominibus in ore hominum sunt, ad vivum, ut aiunt, sunt resecanda, ita ut h. l. ad verbum standum illis censeas. Itaque haud scio an Herodoto feceris satis, si antiquis temporibus servitia dicas adeo non fuisse Athenis frequentia, ut filii filiaeque familias, quae postea servilia numerarentur officia haud raro obirent. — Sunt quidem etiam alii loci, allati illi a viris doctis [21]), ex quibus effici videtur, nullos olim in Graecia fuisse servos. In quibus est illud Timaei: *Οὐδὲ γὰρ κεκτῆσθαι νόμον εἶναι τοῖς Λοκροῖς, ὁμοίως δὲ οὐδὲ Φωκεῦσι, οὔτε θεραπαίνας οὔτε δούλους.* Sed, ut alia, quae suspicionem movent, omittam, haec parum definita sunt, ut in dubio positum sit, quos ille Locros nominet, Epizephyrios an Epicnemidios Opuntiosve, an Ozolas, an universos; neque etiam veri simile est, a totius Graeciae usu vitae atque cultu istas gentes tam longe abfuisse. Verum enim vero, utcunque ista se habent, illud quidem inde probatur, non exisse ex veterum Graecorum memoria, servos, quum initio non essent, paullatim haberi coeptos. — Nullo tamen loco explicatur, quo modo factum sit, ut et ingrueret ista servorum condicio neque ab humanitate videretur abhorrere. Neque id mirum est. Homeri enim carminibus docemur, apud Graecos quidem illorum temporum, quibus initium cepit servitus, memoriam ac recordationem prorsus occidisse. Obvii et in Odyssea et in Iliade sunt servi servaeque vel bello capti vel rapti a piratis et pretio venditi vel vernae: *Πεντήκοντα γυναῖκες δμωαί* in regia Ulixis [22]); totidem in domo Phaeacum regis [23]). In raptis et

---

[21]) W. A. Becker. Charikles II. p. 27.. C. Fri. Hermann. Privatalterth. etc. p. 55., Schiller. die Lehre des Aristoteles über die Sclaverei. Erlangen, 1847. pag. 24...
[22]) Odyss. 22, 421. [23]) Ibid. 7, 103.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

venditis est ipse Eumaeus [24]). Simile quid sibi accidisse ipse narrat Ulixes [25]). Atque in dote Penelopae numeratur Dolius [26]), a quo nati sunt Melantheus, famosus ille caprarius, et Melantho, inter impudicas ancillas insignis [27]). Omnisque haec servorum commemoratio ita comparata est, ut non nova et recens instituta appareat servitus, sed in communi vita ac vulgari hominum consuetudine tanquam inveterata. Itaque quae apud Xenophontem [28]) Cyrus de iure belli affert: *Νόμος γὰρ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει καὶ τὰ χρήματα* — ea non sunt verba a Xenophonte bene inventa, sed posita in auctoritate antiquissimorum Graeciae hominum, qui et ipsi servitia a maioribus acceperant neque origines eorum perspectas habebant. Quod autem Xenophon institutum illud *ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις* ait esse, id etsi probari in unaquaque gente argumentis iam non potest, tamen videtur verissimum.

Romanos quidem ab initio servis usos esse, neminem credo fore qui infitias eat. Id enim, quod per se coniiciendum erat, quoniam res Romana esse coepit vel saltem aliqua incrementa cepit eo demum tempore, quo apud Graecos et propinquos finibus et sanguine cognatos longe lateque pervulgatam vidimus servitutem fuisse — id igitur nullis fere librorum historicorum paginis non probatur: Tristem servitutem impositam gentibus devictis a. P. R. sub hastaque captivos venditos, ut qui sui iuris esse desissent; nec bellis solum atque emptione acquisita mancipia, sed nata etiam domi [29]). Ea vero servitiorum fortuna iam sub regibus latissime patebat. Serva natum Servium Tullium ipsumque parvum servisse, quamvis nobili patre ortum, plerique Romanorum certum habebant: neque alia causa id credere prohibetur

---

[24]) Ibid. 15, 389. sqq. [25]) Ibid. 14, 199, sqq., imprimis v. 297. [26]) Ibid. 4, 735. 736. [27]) Ibid. 17, 212 seqq. 18, 321 sqq. [28]) Cyrop. 7, 5. 73. cf. Arist. Polit. 1, 2, 17 (1, 5) . . . *τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασιν.* [29]) cf. Becker. „Gallus," tc. I. pag. 104 seqq. et qui ibi laudantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Livius [30]), quam quod illi Servio Tullio Tarquinius rex filiam suam narrabatur despondisse. Neque enim hunc facturum illud fuisse, si serva natus Servius Tullius esset. Itaque „Corniculo capto Servii Tullii, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro occiso uxorem, quum inter reliquas captivas cognita esset, ob *unicam nobilitatem* ab regina Romana prohibitam ... servitio [31]).“ Ex qua re apparet, eundem fuisse morem priscorum Romanorum atque Graecorum, ut devictarum gentium nonnullos interficerent, alios loco servorum haberent eosque vel dividerent inter se sorte vel praestantissimos principum fieri concederent [32]). Postea celebratior illa consuetudo fuit, ut vi capti, nonnunquam etiam accepti in deditionem, caesis securi illis, quorum gravior culpa videretur, qui relicti essent, sub corona venirent [33]). Ex quibus servis quae nascebatur proles, haud minus Romae quam apud Graecos diro servitutis iugo premebatur [34]). — In Asia ea, quae a Graecis noscitabatur, omnia adeo plena servitiorum, ut feminae omnes Graecorum quidem sententia non nimus quam mancipia servirent [35]), et praeter reges servi omnes nuncuparentur [36]), videreturque esse Asia tanquam seminarium servorum Europaeque serva, in quam dominari Graecos deceret [37]). Et profecto inde a vetustissimis temporibus magnum fuisse inter Orientales servorum numerum, plurimi bibliorum loci confirmant. [38]). In quibus etiam vernarum et emptorum mancipiorum magna copia fuit [39]). — Tum apud Indos non fuisse servos omnesque ibi homines aequo iure iisdemque legibus usos, auctores sunt Diodorus Sic. [40]) et Strabo libro XV. Sed non satis accurata

---

[30]) 1, 39. [31]) Liv. l. l. [32]) cf. Liv. 4, 34, 4; Hom. Il. 9, 589; 1, 125 sqq... [33]) cf. Liv. 2, 17, 6; 5, 21, 14. 22, 1; 4, 34, 4; 7, 27, 8. [34]) Liv. 3, 44, 6.. [35]) Ἐν τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. Aristot. Polit. 1, 1, 5 (1, 2). [36]) Τὰ βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός. Eurip. Helena. 284. [37]) cf. Herm. Privatalterth. §. 13, 1. Becker. Charicles II, p. 418 et alibi. Schiller. l. l, p. 5. [38]) cf. Genes 13, 1. 5—9; 14, 14... [39]) Genes. 17, 27; 14, 14... Sed de ortu eorum nihil, quod quidem afferrem, reperi. [40]) 2, 39.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

istius regionis Graecis et Romanis fuit notitia. Id constat ex Indorum scriptis vetustissimis, non eadem fuisse omnium Indorum iura, non eundem statum, parum etiam apud illos viguisse humanitatis studia. Sed unde profecta servitus apud illos viguerit, non convenit inter viros doctos.[40b]). — Neque Aegyptiorum res servitute carebant. Quippe duro servitutis iugo oppressos in Aegypto Israelitas non aliter, atque per visum cognoverat a deo Abraham, in vulgus notum est[41]). Sed noli, quaeso, inde coniicere, incognitam et inusitatam ad id tempus Aegyptiis fuisse servitutem. Neque enim tum primum ab humanitate defecerunt: id quod ex Josephi vita manifesto apparet. Aegyptii enim, quum annis illis septem sterilibus, fame urgente, aggressi ad Josephum pro frumento pecuniam primum, tum pecora dedissent nec praeter terrae solum et corpora quidquam esset reliqui, Et nos, inquiunt, et terra nostra tui erimus; eme nos in servitutem regiam[42]). Ea ita sunt dicta, ut iam cognitam usu servitutem fuisse recte statuas. Namque et regiae huic servituti opponitur tacite non regia, et qui h. l. Josephum frumenti petendi causa adeunt agri possessores, non fuerunt illi ex abiectis et infimis (liberae) vitae condicionibus, sed honestissimo loco nati: quibus in servitutem abductis, nullus agrorum possessor praeter sacerdotes supererat[43]). Atque summo nostro iure ex Genesi 46, 34. videmur colligere, quae postea, a Graecis maxime scriptoribus, percensentur populi Aegyptii genera, ea iam ante, quam Josephus, Jacobi patriarchae filius, in Aegyptum perveniret, populum Aegyptium discrevisse, quum praesertim Aegyptii populi partem primum ex India transisse in eam Africae partem, quam Meroën vulgo nominant, postea ex Meroë ad inferiores Nili partes descendisse, veri simillimum sit. Apud Indos vero ista hominum genera iam priscis temporibus fuerunt. Quorum generum, quae infima et ultimo loco habentur, si non appellantur servi a servitutis sordibus atque miseriis non ita longe absunt. Neque enim numerantur homines et cives, sed

[40b]) cf. ad No 44. [41]) Genes. 15, 12 sqq. [42]) Genes. 47, 15 sqq. [43]) Genes. l. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tanquam pestis putantur vitandi; quorum congressu coinquinari homines et commaculari [44])

Sed haec hactenus. Iam ad nostros libros divinos accedamus, quid ibi de servitutis originibus doceatur, cognituri. In his autem libris quum ante diluvium quod dicunt servorum nulla mentio sit facta, post aquae recessum Noe, dum dormit, ab uno filio illusus, ab aliis summa pietate cultus, maledicens illi, his benedicens, Maledictus, inquit, Chanaan, servus servorum erit fratribus suis .. Bene dictus dominus deus Sem; sit Chanaan servus eius. Dilatet deus Japheth et habitet in tabernaculis Sem sitque Chanaan servus eius. [45]) Fuerunt, qui haec ita interpretarentur, tanquam nulla antea servitus exstitisset. Nullo illi iure. Neque enim, si quid hodie factum esse dicitur, id ita poteris intelligere, acsi antea factum sit nunquam. Quamquam non negaverim, hoc divinorum librorum loco aliquid effici posse, si, quae ante inundationem acciderunt, uberius essent enarrata. Quum autem vix summa attingantur, nihil inde sequi putaverim, quod de servitiorum ratione siletur.

Sed mittamus haec: concedamus, servos ante inundationem non fuisse. Ne tum quidem in bibliis de originibus servitutis explicatum quidquam ac definitum habes. Ex peccato et culpa hominis esse servitutem, scis; quomodo, nescis. Neque ullo etiam alio loco sacri christianorum libri quidquam praebent, unde servitutis origines perspiciantur: cunctique antiquitatis populi memoriam illius ortus videntur deposuisse. — Sed forsitan quispiam quaesiverit: Quorsum haec? Quas

---

[44]) Nota sunt omnia, quae de hominum genere, quos Parias dicunt, circumferuntur. — Utrum Sudras (Sutra) quos dicunt, infimo illi loco inter quatuor prisca Indorum hominum genera constituti, eodem quo Brahmani ortu i. e. ex Japhethitis fuerint [quae est sententia v. Bohlen — das alte Indien I. p. 45— et Heeren. — Ideen I, 2, p. 605.] atque cum reliquis Ariis in Indiam descenderint, an offensi illi ibi sint ab Ariis in Indiam irruentibus et devicti et in servitutem vindicati [ita Gfrörer, Urgeschichte des menschl. Geschl. p. 199. 200], ad nostram disputationem parum interest: servi illi utique fuerunt. cf. Gfrörer l. l. [45]) Genes. 9, 25—27.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tu de hac origine turbas? Videlicet in servitutem ceciderunt homines hominum vi ac violentia subacti aut fame omnique inopia et indigentia pressi. — Recte tu quidem et vere. Ita factum est, ut homines servitutem paterentur. Sed quamdiu? Nempe dum durabat ista causa servitutis, dum vis ac violentia adhibebatur, dum fames urgebat. An si quid homines in iram ferociamque conversi ac libidinum furore occoecati faciunt, id, simulatque se receperunt, quamvis ab humanitate sit alienum, ratum habent et comprobant? An si necessitati quis paret, parebit item remota necessitate? Itaque non id iam quaeritur, qui factum sit, ut ab hominibus homines opprimerentur: sed quomodo recte illud fieri et cum virtute et honeste persuadere sibi homines potuerint, iique summo etiam ingenii acumine ornati et omni humanitate culti omnibusque optimis artibus instituti, nulla etiam aut minima proposita mancipiorum utilitate; quomodo ita invaluerit servitutis opinio, ut etiam ii, qui ista calamitate premerentur, non iniuria se esse servos iudicarent.[46]) Id si mirum est per se, magis etiam videbitur mirandum, si quos et quantos cruciatus perpessi sint servi, in animum induxeris et tecum reputaveris.

Quae quum ita sint, operae pretium se facturos multi viri docti censuerunt, si de istius servitutis origine quaererent. At his annis vir quidam exstitit[47]), qui condicionem servilem ea, quae a nobis proposita est, ratione ab amplissimis antiquitatis viris non modo non probatam contendit, sed reprehensam etiam et damnatam.[48]) Ac fuisse sane, qui servitutem contra naturam esse contenderent, Aristo-

[46]) Vix idoneum locum apud poëtas Graecos et Romanos invenies, quo quis servi partes ita agat, ut contra ius et fas servitutem se pati queratur ac domini in se indefinitum quoddam ius esse neget. Prudentur hoc ac provide ita a scriptoribus institutum, verentibus, ne mancipiorum animos excitarent, literarum illarum periti vix audeant contendere. [47]) Steinheim, Aristoteles über die Sclavenfrage. Hamburg 1853. [48]) „Aber wie konnten jene Männer in mitten des Heidenthums das unumwunden auszusprechen wagen, was noch jetzt im frommen (sic) Amerika als Verbrechen, als Gesetzbruch angesehen und mit Kerker und Auspeitschen, oft mit dem Tode bestraft wird. Dennoch haben jene Heroen des Gedankens, namentlich hat es Aristoteles

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

teles ipse testatur.[49]) Quorum tamen nomina, quae afferantur, digna idem non habet, sed continuo omnes nervos mihi videtur contendere, ut eorum sententiam refellat atque recte quosdam et secundum naturam esse servos ostendat. In qua disputatione plura sane sunt ad explicandum difficillima et quae hodie rationibus exegeticis absolvi ab omni parte nequeant.[50]) Verum Aristoteles perfectam et quasi absolutam

gewagt, und hat im Angesichte des ganzen mächtigen Heidenthums das Verdammungsurtheil der Sclaverei unumwunden ausgesprochen. Steinheim l. l. p: 4. — Qui sint „jene Männer," „jene Heroen des Gedankens", etsi non satis Steinheim explicavit, tamen ex re ipsa et ex loco, quo ista sunt posita, effici videtur, Platonem in iis numerari. Sed is quidem quomodo recte dicatur reprobasse servitutem, Steinheim viderit. [49]) *Τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ ἐπιστήμη τις εἶναι ἡ δεσποτεία . . . τοῖς δὲ παρὰ φύσιν τὸ δεσπόζειν· νόμῳ γὰρ τὸν μὲν δοῦλον εἶναι, τὸν δὲ ἐλεύθερον, φύσει δὲ οὐδὲν διαφέρειν· διόπερ οὐδὲ δίκαιον· βίαιον γάρ.* Aristot. Polit. 1, 2, 3. (1, 3), cf. 1, 2, 16. sqq. [50]) Steinheim quidem 1, 2, 7. (1, 4, sub fin), ut alia silentio praeteream, perperam corrigere et explicare videtur hoc modo: *Ἀλλ' οὐ δ' ἐστὶν ἄνθρωπος, ὃς ἂν κτῆμα ᾖ, ἄνθρωπος ὤν* [lib. fere: *ἄλλου δ' ἐστιν κ. τ. λ.*]. Nam inepta *ταυτολογία* non inest in his librorum verbis, ut eam quomodo St. sustulerit, vix perspici possit. Sed illud mitto. Quae enim apud Aristot. vel antecedunt vel sequuntur, manifesto ostendunt, errare hoc loco Steinh. Opus esse servis ac necessario eos requiri, Arist. 1, 2, 3—7 (1, 4) exposuerat. Jam vero 1, 2, 7 sqq. illud disquirendum philosophus sibi sumit, sintne ista servitia, quae res domestica desideret, necne. Quod autem Arist. initio huius quaestionis dicit „*μετὰ ταῦτα σκεπτέον,*" id esse eo quod antecedit enunciato non poterat negare. Et quae iam sequitur huius rei investigatio, tota eius modi est, ut non refellentis servitutem et redarguentis sit, sed anquirentis *τὸν φύσει δοῦλον.* Is in quo potissimum cernatur, difficile cognitu ait esse quum propter alia, quae ad corpora pertineant, tum vero eam ob causam, quod animorum natura ac vis, qua quis vel ad imperandum vel ad serviendum idoneus exsistat, non facile perspici atque certo indicio ponderari possit (1, 2, 14, 15 (1, 5). Itaque quamquam „*ὅτι εἰσὶ φύσει τινὲς, οἱ μὲν ἐλεύθεροι, οἱ δὲ δοῦλοι, οἷς καὶ συμφέρει τὸ δουλεύειν καὶ δίκαιόν ἐστι, φανερόν·*" [Polit. 1, 2, 15, (1, 5)] „*καὶ (δηλόν) ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον, ὧν συμφέρει τῷ μὲν τὸ δουλεύειν, τῷ δὲ τὸ δεσπόζειν, καὶ δίκαιον καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι, τὸ δ' ἄρχειν, ὥστε καὶ δεσπόζειν·*" [ibid. 1, 2, 20 (1, 6)]: tamen quum respicimus eos, qui in vita communi servi habentur, verbi causa, barbaros, bello captos,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

domum constare contendit ex liberis et servis. [51]) Utrisque non minus opus esse ad domum bene instituendam quam mare ac femina. Feminarum sortem perperam confusam et permixtam a barbaris cum statu servili. [52]) Tres esse familiae tanquam partes, dominum et servos, virum et uxorem, patrem et liberos. [53]) Servorum duo genera esse: unum lege naturae famulantium, alterum lege positiva aut necessitate quadam urgente. [54]) In illa autem domo si quid contra ius fiat de servis, id nocere utrisque, domino et servis: quippe servos, quamquam suum corpus habeant vivum, tamen esse velut partes et artus domini; quod autem parti, id nocere etiam toti generi necesse esse. [55]) Planissime ea dicta sunt et apertissime. Namque si domus perfectae pars sunt servi (in domo autem quae sunt contra naturam, ad perfectionem universae domus facere nequaquam possunt): nulla ratione Aristotelis quidem sententia servorum condicio potest esse illicita atque contra naturam. Itaque Aristotelem de servitute idem oportet sensisse, quod Plato atque universa antiquitas. [56]) Id si minus placet Steinh. [57]) reputanti, quanta Aristoteles incredibili quadam ingenii acie pervestigaverit atque invenerit, ne ille obliviscatur, deteriora etiam doceri ab hoc philosopho et probari, ac bonum etiam Homerum nonnunquam dormitare, nec Demosthenem semper, quamquam unus emineat inter omnes in omni genere dicendi, aures implere. Multa sane vidit

---

qui non „κατὰ φύσιν," sed „κατὰ νόμον" servi appellantur, „ἔχει τινα λόγον ἡ ἀμφισβήτησις, καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι Ibid. 1, 2, 19 (1, 6).

In hoc ultimo loco, vexatissimo illo quidem, voculam οὐκ non magis libri videntur tueri, quam loci totius natura requirere. Ἔμφασις quaedam est in voce „φύσει"; neque opus est οὐκ particulam cum Stahr., Schiller. l. l. p. 16. ita interpretari, ut sit = nicht durchweg. Quamquam vis et natura loci ita recte explicatur. [51]) Polit. 1, 2, 1 (1, 3). [52]) Ibid. 1, 1, 5. [53]) Ibid. 1, 2, 1. [54]) Ibid. 1, 2, 16 (1, 6 sub fin.) — Cum illis domino amicitiam quandam esse posse, cum his non item. Ibid. 1, 2, 21. [55]) Ibid. 1, 2, 20. [56]) Aristotelem in toto hoc genere cum veteribus Graecis omnique antiquitate facere, Schiller., ut alios viros doctos omittam, docte et copiose l. l. exponit. cf. impr. p. 5. [57]) l. l. p. IX.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aristoteles neque in hoc genere similis eius fuit. Sed quum et abigere medicamentis partus tam Aristoteles [58]) quam Plato [59]) dicant licere nonnunquam, et esse e republica; et legibus vulgo concessum fuerit, liberos vel recens natos exponere [60]), vel vendere susceptos: quid obstat, quominus clarissimum illum philosophum iure ac recte servire quosdam credamus docuisse? Praeterea doctorum hominum ea est sententia, hunc Aristotelis de republica librum non tam insignem esse propter inventa a philosopho ingeniose ac subtiliter disputata, quam quod Graecarum civitatum status ac formas in conspectu positas persequatur et disquirat, [61]) ut quae apud veteres Graecos usque ad Alexandrum M. de servis essent usu recepta, tanquam in μικροκόσμῳ habeas apud Aristotelem.

§. 3.

A parvis elementis initium servitus cepit.

Quae igitur fuit causa, ut homines, quae in homine inesset dignitas, adeo desinerent perspicere, ut omni humanitatis ratione neglecta alius alium tanquam κτῆμα, in quod infinita esset potestas nullisque legibus coërcita licentia, haberet utereturque eo tanquam instrumento ad quaecunque videretur idoneus et utilis [62])?

Ac mihi quidem, quaecunque in hac re aliquo pondere videbantur esse, animo et ratione perlustranti et contemplanti illud primum pro certo exploratoque fuit, servitutem non tanquam rem suo genere perfectam et ad summum adductam definito quodam tempore inter

---

[58]) Polit. 7, 14, 10 (7. 10): ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν. [59]) Resp. V. p. 461. c. [60]) Lege cavendum censet Aristot., ne liberi mutili suscipiantur neve educentur, ne maior fiat liberorum numerus. (Polit. 7, 14, 10). Similia Plato proponit. De quo satis erit relegasse ad Ritter. Geschichte d. Phil. II, p. 411 (2te Auflage). De Aristotele cf. eundem l. l. III. p. 367. [61]) cf. Ritter l. l. III. p. 367. [62]) cf. §. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

homines exstitisse ac velut locum sedemque habitandi constituisse, sed ab seminibus minutissimis, quae videre atque animadvertere vix posses, ortam paullatim egisse radices, deinde magis magisque crevisse mirumque in modum propagatam. Plura autem sunt, quae ita irrepsisse pedetentim servitutem declarent. Primum res ipsa id monet. Etsi enim haud raro fit, ut homines probi ac bene morati subito quodam casu abrepti turpe flagitium admittant: tamen natura ita generati sumus, ut ad deteriores sententias ac depravatas voluntates sensim ac per multos gradus descendamus. Quaecunque vero ad mores vitaeque honestatem attingunt, eorum neque opiniones quae fuerunt labefactantur nisi aliquo tempore interiecto multisque moventibus causis, nec novae facile inseruntur animoque imbibuntur. Id si in singulis hominibus ita se habet, magis etiam in civitatibus valere dicendum est. Quo autem tempore quave morum consuetudinumque depravatione opus fuisse censebimus, ut in homine homo hominem non agnosceret! Vera esse, quae adhuc disputavimus, nemo, opinor, negabit, qui, quae servorum sors fuerit diversis temporibus, in animum induxerit. Constat enim inter viros doctos, qui in hac re curam et operam collocarunt, servorum fortunam, quum apud quosque populos primis temporibus non admodum dura esset, miserrimam paullatim et durissimam evasisse. Nec difficile est, argumentis illud probare. Sed quoniam omnia omnium rerum publicarum itinera flexusque perscrutari non possumus, de paucis videamus atque initium faciamus a Graecis.

Et apud Homerum quidem a liberis vix differunt servi. Hi familiariter dominis utuntur, non laborum tantum socii, sed etiam consiliorum studiorumque participes. Non fastidit famulum herus, neque herum anxie suspicit famulus: uterque quae sentit in alterius pectus effundit: eadem utrique cura, eadem voluntas, idem animus. — Nota sunt omnia ac praesto unicuique. Itaque ne γλαῦκ' Ἀθήναζε, rem paucis absolvam. Dilectum filium[63]) Telemachum

[63]) φίλον τέκος, φίλε τέκνον . . . Odyss. 2, 363; 16, 25; 22, 420 etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et Ulixem appellant Euryclea et Eumaeus. Penelopam iidem dilectam matronam [64]); neque id nihil sentientes, ut verba sint ficta facundia linguae, non orta ex animo, sed sensui verba aequantes. Quanta Eurycleae de Telemacho cura, ne procul ille a patria pereat, ne patrimonium, dum ille absit, proci perdant! quumque persuaderi illi, ut remaneat domi, nequeat, tamen omni sedulitate ei praesto est, quae ad iter opus sunt, diligentissime apparans et quae praeterea sunt mandata, accurate persequens. [65]) Eadem tota in eo est, ut Penelopam de filii profectione afflictam consoletur, [66]) eandem a Telemacho reprehensam excuset atque defendat. [67]) Laetabunda illa reducem Telemachum excipit [68]) et deinde, Ulixem esse mendicum illum, qui ad Penelopae regiam accesserat, suspicata tenerrimos exprimit animi affectus. [69]) — In Eumaei autem et sensis et factis omnium leniorum virtutum quasi formam et exemplar expressum habes. [70]) Neque illa servo poëta ullo pacto poterat tribuere, si pro abiecto et deperdito illud genus hominum Homeri temporibus habitum esset. Nam nisi vera illa auditoribus videri poterant atque cum vitae consuetudine consentanea, neque invenisset illas virtutes poëta, neque proposuisset inventas, quippe quae audientium animos offenderent. Ne vero Eurycleam et Eumaeum solos a servilibus moribus alienos putes, id primum observandum, carminis quam dicunt οἰκονομίαν non admisisse, ut aliorum etiam sive servorum sive ancillarum vitae et mores diligentius pingerentur. Habes in Euryclea et Eumaeo vera servorum ἤθη, qualia Homeri tempore fuerunt, poëtarum more exornata. Quam ob rem praeter Eurycleam aliae etiam famulae Telemachum ex Peloponneso revertentem tenerrimo sensu salutant; [71]) et cum Eumaeo Philoetius armentarius, cuius bonam indolem poëta l. 20, 185—240 adumbravit, Ulixis tanto tenetur desiderio, ut conspecto illius gladio

---

[64]) νύμφα φίλη . . . Odyss. 4, 743. [65]) Odyss. 2, 361—380. [66]) Ibid. 4, 741, — 756. [67]) Ibid. 20, 135 sqq. [68]) Ibid 17, 31 sqq. [69]) Ibid. 19, 361—509. [70]) Ibid. 14; 15, 301 sqq. 16; 17.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

temperare lacrimis nequeat.[72]) Iidem deinde socii pugnae ac periculorum.[73]) Nullum tamen certius documentum est, quanto studio servi heros tunc temporis complexi sint, quam quod ex illis quinquaginta ancillis, quae in regia Ulixis erant, per viginti annos praeter duodecim inventae sunt omnes hero fideles, nullis illae procorum illecebris, nullis largitionibus et pollicitationibus captae.[74])

Nec minor liberorum hominum in servos bonitas et familiaritas. Penelopa ancillas, quas vocat amicas, quum illas credit in se peccasse, suaviter castigat.[75]) Familiarissime Ulixes et Telemachus servos alloquuntur.[76]) Eumaei visendi causa ait Telemachus rus se prodiisse. Idem in subulci casa comedit, quae ille proxima coena reliqua fecerat.[77]) Poëta ipse Eumaeum et Philoetium servos saepius appellat δίους.[77b]) Sed iam, quae postea servorum sors fuerit, indagemus.

Ac primum quidem in mentem venit reipublicae Spartanorum.[78]) Quae ibi servorum condicio! quam horrida! quam ab omni humanitatis sensu aliena![79]) Hanc tamen εἰλωτείαν, rem detestabilem ac funestam, bene se habere, Graecorum multi erant qui contendebant habebantque persuasum[80]). — At in aliis Graeciae civitatibus, Athe-

---

[72]) Ibid. 21, 80 sqq. [73]) Ibid. 22, 284 et alibi. [74]) Ibid. 22, 420. sqq. Isti sunt Platonis illi servi, qui ἀδελφῶν καὶ υἱέων τισὶ κρείττους πρὸς ἀρετὴν πᾶσαν γενόμενοι σεσώκασι δεσπότας καὶ κτήματατάς τε οἰκήσεις αὐτῶν ὅλας. Plat. Leqq. VI. p. 776. e.[75]) Odyss. 4, 721 sqq, 23, 25. [76]) ματῖα, ἄττα, ματῖα φίλη. . . Ibid. 2, 249, 16, 31. 45 ; 21, 369 . . . [77]) Ibid. 16, 31, etc. [77b]) Ibid. 14, 3. 55 . . .; 21, 240 . . [78]) Fuerunt quidem, qui gentes armis subactas atque constitutas in servitute separandas censerent a servis, qui vulgo dicuntur. cf. Becker l. l. II, p. 26. Sed Plato Legg. VI. p. 776. c. d. Helotum et Penestarum Thessalicorum et Mariandynorum statum ac fortunam promiscue servilem nominat ac tota antiquitas negat, ullam tristiorem servitutem fuisse quam v. c. Helotum Lacedaemoniorum. [79]) cf. Wachsmuth, Hellen. Alterthumsk. II, 2, p. 83 . . . Bene W. monet, illos εἵλωτας non ex barbaris fuisse, sed Graecos omnes, partim Dores etiam cum Spartanis. [80]) Plat. Legg. VI. p. 776. Rationem, cur ita crediderint, afferunt Herod. 4, 77 et Aristot. Polit. 1, 2, 23 (1, 7). Licebat Spartanis esse otiosis καὶ μὴ κακοπαθεῖν καὶ πολιτεύεσθαι καὶ φιλοσοφεῖν. cf. L. Schill. l. l. p. 21 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nis maxime, minus dura erat servitus. Verum illud quidem, sed ita tamen, ut dura esse ac misera servilis condicio non desineret. Qui ne Athenis quidem a dominorum iniuriis et contumeliis defendere ullo pacto se poterant. Quae et quot genera poenarum! quanti cruciatus! Nulla eorum in civitate auctoritas, nulla in vitae societate gravitas, nullus in tot calamitatibus respectus nullumque praesidium, nulla eorum in iudiciis fides, nisi in tormentis experta, nulla paene in eos religio, nihil non licitum, nihil iniustum.[81]) Denique servi adeo contemnebantur ac despiciebantur, ut quaecunque mandari illis negotia vel fieri per eos opera solerent, tanquam maculis spurcitiisque putarentur aspersa, quae iam attingere liberum hominem dedeceret. Itaque ut per belluas multa fiebant, ad alia liberi homines accedebant, ita tertium paullatim exstitit occupationis genus, in quo servi, tanquam medii illi inter homines liberos et bestias relicti, operam collocarent.[81b]) Ea opinio in hominum mentibus medullisque penitus inhaerebat, ut ne divinus quidem ille Plato concipere mente et animo ac fingere rempublicam servis carentem posset propriasque illorum proponeret leges et instituta,[82]) Aristoteles autem haerere quodam modo videretur, essetne praeter dexteritatem corporis in operibus servilibus conspicuam servorum aliqua tanquam humana virtus animique praestantia, amicitia cum servis iniri rectene posset, an secus.[83]) Sed de Graecis satis dictum est.

Prisci vero Romani nequaquam dedecori sibi esse existimaverunt, regi serva nato parere. Quodsi fictum illum Servii ortum dicis: num

---

[81]) De omni hac re v. Becker. l. l. II. p. 30-58 et quos ille laudat. — Duram servitutem tempore belli Peloponn. fuisse, etiam inde coniicias, quod post cladem in Sicilia acceptam quum libertatis aliqua spes esset, mancipiorum plus viginti milia aufugerunt (Thucyd. 7, 27 sub fin.); eodemque tempore Chii seditione orta maior pars servorum (qui ibi erant frequentissimi. Thucyd. 8, 40) relictis dominis in Atheniensium castra clam transierunt. Thucyd. 8, 40. [81b]) cf. ea, quae no. 120 ascripsimus.[82]) cf. Ritter. Gesch. d. Philos II, p. 498 sqq., Becker. l. l. II, p. 47, Schiller. l. l. p. 23 sqq. [83]) cf. Polit. 1, 5, 3 (1, 13). Eth. Nicom. 1, 8, 6 sqq. Polit. 1, 2, 21 (1, 6 sub fin.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veri simile est, fingi ita potuisse, si iam tum servi inexpiabili ignominia laborarent ac flagrarent infamia? Sin autem serva natus est Servius Tullius, res ipsa loquitur. — Quamquam autem patri familias ut liberorum ita servorum potestas vitae necisque erat, tamen servi a domino in villis satis honeste tractabantur [84]) et cum illo eiusque uxore et liberis, quibuscum tum plerumque communis victus, eadem domus, familiariter vivebant. [85]) Sed quum postea, maxime post bellum Punicum secundum, numero servorum mirum quantum aucto, mancipia ab usu et consuetudine patris matrisque familias separata et gregatim inter se coniuncta in latifundiis sub duris villicis aut procuratoribus colendo agro operam darent [86]) aut in ludis gladiatoriis, ut Romanorum vesaniae in spectaculis satisfacerent, misere torquerentur; quum etiam multis servis, tanquam scelerum coargutis et ad bestias damnatis, cum leonibus et ceteris belluis pugna esset ineunda, qua foede lacerati ac distorti interirent [87]): tum demum deplorata sane ac desperata servitiornm Romanorum vita fuit, tum nihil non perpetiendum. [88])

Et quoniam natura morbis mederi atque excutere graviores moles studet, fieri non potuit, quin ex misera servorum plebecula et singuli in dominos quae possent arriperent arma ab illorumque iniuriis se defenderent, et seditionibus coniurationibusque factis multi et magni mancipiorum greges iunctis viribus iam non cum singulis dominis, sed contra universam rem Romanam gererent iusta bella. Quae quidem servilia sive fugitivorum bella et ipsa evidenter declarant,

---

[84]) cf. Walter. Gesch. d. röm. Rechtes. I. 226 sqq. [85]) Walter l. l., Becker. Gallus etc. I, p. 125. Plutarchus in vita Coriolani haec scribit (24): *καὶ γὰρ ἐχρῶντο* (domini) *πολλῇ πρὸς τοὺς οἰκέτας ἐπιεικείᾳ τότε δὶ αὐτουργίαν καὶ τὸ κοινωνεῖν διαίτης ἡμερώτερον ἔχοντες πρὸς αὐτοὺς καὶ συνηθέστερον*. [86]) Diodorus Sic. excerpt. l. XXXIV multus est in hac re explicanda. cf. eiusdem exerpt. l. XXXVI. Liv. epit. 56. [87]) cf. interpretes ad Cicer. pr. Sext. 64, 135; ad Sueton. Claud. 34. — Ruckgaber. Universalgesch. I. 2. p. 178. [88]) Rem satis copiose et luculenter exposuit Becker. Gallus etc., p. 128 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tanquam pestem detestabilem generis humani servos tunc temporis numeratos esse. [89]) — Quam autem apud Graecos et Romanos primis temporibus liberorum capitum et servorum fuisse familiaritatem vidimus, ea apud Germanos etiam, quum primum de eorum rebus exponitur, fuit. De quibus Tacitus [90]): Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas; inter eadem pecora, in eadem humo degunt donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat." Religio autem christiana postea impedivit, ne latius inter illos hoc malum serperet.

Apud patriarchas quos dicunt servitutem, etsi nimia quaedam severitas non omnino abest [91]), tamen non admodum duram fuisse, multis rebus discimus. Vernae Abrahae patriarchae loco militum sunt [92]) atque cum reliquis servis ad sacra assumuntur [93]). Quantam vero amicitiam fuisse putamus inter Abraham et domus servum seniorem, cui ille Isaacum filium tanquam patrono custodiendum tradidit [94])? Et quanta is sedulitate, quanta pietate mandata persequitur [95])? Balae et Zelphae ancillarum filii legitimorum loco censentur, ad quos aequa hereditatis pars pervenit. [96]) Acerbius postea ab Israëlitis in Aegypto servitutem edoctis animadversum ac saevitum esse in servos, leges a Moyse datae luculenter declarant. [97]) Quibus legibus et dominorum licentiae atque crudelitati et servili animo eorum, qui famulabantur, divina profecto sapientia occurrebatur. — Sed non opus est ad hanc rem, quae ubique eadem est, probandam, plurium gentium exempla afferre; ex his, quae adhuc dicta sunt, recte videmur coniicere, in reliquis etiam nationibus servitutem, initio non ita molestam nec ab humanitate multum dissidentem, paullatim, nisi quae eventa id fieri prohiberent, in pravum induruisse atque ad deteriora sensim deflexisse et quasi aberrasse.

Sed quo maiorem fidem habeat res, tertium superest argumen-

---

[89]) cf. e. g. App. B. C. 120. [90]) Germ. 20. [91]) v. c. Hager ancilla vexata — Genes. 16, 4 sqq. et e domo emissa — Genes. 21, 9—11. [92]) Genes. 14, 14. [93]) Ibid. 16, 23. [94]) Ibid. 24, 1—8. [95]) Ibid. 24, 9—66. [96]) Ibid. 49, 16 sqq. [97]) Exodus 21, 2 — 11. 20. 21. 27. Deuteron. 15, 12—18.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tandi genus idque firmissimum, ni fallor, ad efficiendum id, quod quaerimus. Continetur autem servorum numeris, qui diversis temporibus fuerint, utrum quum magni primis cuiusque populi temporibus essent, paullatim sint imminuti, an, qui parvi primum, vertentibus annis evaserint magni. In qua re etsi fatendum est, non ubique argumentorum copiam vel exstare vel praesto esse, tamen, quae de Graecorum Romanorumque rebus cognita habemus, satis videntur ostendere, numerum servorum temporum cursu magnopere auctum esse.

In regia Ulixis tanta servorum copia non erat, ut illi ad perfungenda opera sufficerent; quare homines liberi, qui manu quaerebant vitae sustentationem, adsciscebantur [98]); nec Telemachus, in Peloponnesum quum transmisisset, idoneum numerum servorum, qui illum sequerentur, habere putabatur. [98b]) Et ex Eurymachi quidem verbis, qui [99]) Ulixem illudens invitat, ut sibi sit pro mercenario, recte videaris augurari, fere per homines mercede conductos opera illo tempore esse effecta. Unde facile intelligitur, quare in scuto Achillis [100]) non servos, sed liberos homines videas metentes. Quibus cum locis si coniungis Odyss. 11, 489. Il. 21, 444. Her. 8, 137 et qui sunt eiusdem generis, in Graecia primis temporibus opera sordida ab hominibus liberis maximam partem perfecta esse parvumque servorum numerum fuisse apparet. Et si quaeris, etiam Periclis temporibus plerique eorum, qui a Spartanorum partibus stabant, *αὐτουργοί* erant suisque manibus victum parabant. [101]) Steinheim. [102]) autem non sine aliqua veri similitudine ex magno numero vocularum, [103]) quibus libera capita manu propter egestatem victum quaerentia Graeci designarint, id vult effici, ut hominum illorum permagnus fuerit numerus. Etsi enim negari non

---

[98]) Ex Ulixis pastoribus alii sunt homines alieni [i. e. mercede conducti], pars servi. Odyss. 14, 100, sqq. [98b]) Odyss. 4, 643. 644. [99]) Ibid. 58, 355. [100]) Ilias 18, 550—560. [101]) Thucyd. 5, 141. [102]) l. l. p. 40. [103]) *θῆτες, ἔριθοι, βάνανσοι, αὐτουργοί, πελάται, χερνῆτες (χειροτέχναι, χειρωνακτες . . .) μισθωτοι.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

potest, θητεύειν, λειτουργεῖν, similia verba de servorum operis aliquoties esse usurpata, quem ad modum etiam liberi non semel dicuntur δουλεύειν [104]), tamen de liberis hominibus illa nomina fere valere concedendum est.

Sed inde a bello Peloponnesiaco, postquam magis magisque dedecori fuit non stipatum servorum agminibus prodire et conspici in publico sine turba pedissequorum, Athenis et in plerisque aliis Graeciae civitatibus magni mancipiorum greges haberi coepti sunt. Alebantur enim non solum lucri causa et quaestus, sed etiam ad vitae commoditates et opportunitates et ad augendam vitae magnificentiam ac splendorem. Quibus causis factum est, ut Nicias, Atheniensium bello Peloponnsio dux, civis Atheniensis, mille servos haberet, sexcentos Mnaso, Aristotelis familiaris, et alii; nec locupletiorum civium quisquam facile inveniretur, qui minus quinquaginta mancipiis contentus esset. [105]) Quae quum ita sint, a veri similitudine non abhorret, quod apud Athenaeum aliosque scriptores est, servos fuisse Athenis, Phalereo Demetrio archonte, quadringenta milia, Corinthi quadringenta sex milia, Aeginae quadringenta septem . . . [106]) Haec de Graecis.

Romae usque ad Gallorum incursiones ac bella cum Samnitibus gesta haud magnum numerum servorum fuisse, nemo, qui quidem Livii historiarum primos libros primoribus labris gustavit, ignorat. Nec solum, quorum agri intra bella deserti erant, servis plerumque carebant e plebe homines, sed etiam patrum aliquot suis manibus agrum colebant. Cincinnatus Quinctius in vulgus notus. Quin etiam bello Punico primo M. Atilius Regulus, allato nuntio, villicum in praedio suo mortuum esse et *mercenarium* rustica instrumenta amovisse, petiit a senatu, ut abdicare se imperio liceret, ne *deserto* agro non esset,

---

[104]) cf. de hac re Hermann. Privatalterth. p. 55. no. 14 et quos ille ibi laudat. Adde Aristot. Polit. 3, 3, 3. [105]) Omnem hanc rem satis illustravit Boeckh. Staatsh. I. p. 41. Becker. Charicles II, p. 33, sqq. [106]) cf. Wachsmuth. Hell. Alterthumsk. II, 1, 44. Boeckh. et Becker. l. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

unde uxor ac liberi sui alerentur.[107]) Quare iure Livius[108]) vix intelligi ait posse, quomodo Volscis bello saepissime victis milites suffecerint, nisi *innumerabilem multitudinem liberorum* capitum statuas fuisse in iis locis, quae suo tempore, vix seminario exiguo militum relicto, servitia Romana a solitudine vindicarint. At Italia denique sub potestatem redacta, Romani, postquam cum Sicilia et Hispaniis et Achaia Africam etiam et Asiam imperio tenuerunt, libertas omnium populorum exstincta est atque deleta, ut iam omnia plena esse servitiorum inciperent neque tum singuli servi, sed servorum numerarentur decuriae.[109]) — Non aliter res apud Germanos se habebat. Quorum servi quum initio vix a liberis distarent paucique essent numero, postea quam (v. c. apud Francos et Langobardos) vita eorum a prisca simplicitate deficiens cultior lautiorque esse coepit, Christi institutis ac praeceptis vel incognitis vel parum observatis, servorum et numeri in dies mirum in modum aucti sunt et fortuna tristior duriorque evasit. Quotquot tum bello capiebantur, omnes fere in servitutem vindicati gregumque ritu coacti ac tractati crudelissime vel civibus vel peregrinis, Judaeis etiam, qui turpissimum inde quaestum faciebant, vendebantur, donec instituta christiana huic calamitati mederentur.[110])

Indorum etiam qui hodie et sunt et habentur miserrimi — quos *Parias* vulgo appellant — apud veteres scriptores nusquam, quod sciam, commemorantur. Sunt autem, qui apud Indos legibus omnes *liberos* quondam fuisse contendant.[111]) Quare etiam in illa gente servitutem et latius paullatim serpsisse et tristiorem exstitisse dicendum est. Qui quidem in subditos homines dominatus tandem adeo fuit intolera-

---

[107]) Valer. Max. 4, 4, 6. — cf. Becker. Gallus I, p. 106. 107. [108]) 6, 12, 5. [109]) Becker. Gallus I, 107. 108 ista servorum agmina ob oculos posuit; quem ipse velim evolvas. [110]) Praeter alios rem accurate explicant Greg. Turon., Paulus Warnefr. cf. Höfler. Gesch. d. Mittelalters I, p. 124. . [111]) v. §. 2. Quamquam autem Strabo initio l. XV. parum de Indis certum atque exploratum sibi esse fatetur, illud quidem ex eius et Diodori Sic. verbis sequitur, ut apud Indos priscis temporibus non ita dura servitus fuerit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bilis, ut, quum Gautama auctore ista sacerdotum tyrannis reprobaretur, sensim commota sit seditio, ad quam infinitus quidam hominum numerus accederet. Eam vero quum sacerdotes difficile dictu est quanta crudelitate et immanitate repressissent, ubi primum tutos crediderunt se esse a periculo, acerbius etiam, quam antea, uti videntur, in infimorum hominum genera saevierunt. [112])

Disputavimus adhuc de populis humanitate politioribus. Quid vero dicemus de nationibus, quae ab omni cultu et urbanitate omnibusque liberalibus artibus discrepabant? Omnia apud illos, ubi primum ab antiqua simplicitate, quae sequeretur naturam, remisissent atque vitiis flagitiisque se inquinassent, fuisse horridiora et immaniora, non est, quod expressis verbis moneamus. Itaque, ut exemplum afferam, Thraces a prisca virtute adeo degeneraverant eo tempore, quo Herod. historias conscripsit, ut inter alia infanda ac detestanda suos ipsi liberos non tam civibus quam peregrinis venum darent. [113]) Atque in australium insularum incolis, priusquam ad sacra christiana se applicarent, adeo nihil inerat recti studii et humanitatis, ut servos ab illis, nullo etiam admisso flagitio, haud raro mactatos esse nostri navigatores tantum non omnes confirment. [114]) Longissime tamen ab omni humanitate omnibusque virtutibus lenioribus absunt Africanorum efferatae gentes, quae servos in stabulis saginatos aut lucri causa aut propter delectationem trucidare consueverunt. [115])

Iam vero si quae de servitutis et initiis et incrementis sunt proposita, omnia colligimus animoque consideramus, luce clariora atque ipso sole, ut ita dicam, illustriora haec humani generis fata apparent:

Servitus, quae initio inter homines non fuit, simulatque in illos

---

[112]) cf. de hac re (ut omittam: Heeren. Ideen. — et von Bohlen. das alte Indien). Lassen. Indische Alterthumsk. I. p. 798 sqq; Gfrörer. Urgeschichte des Menschengeschlechts. p. 199. [113]) πωλεῦσι τὰ τέκνα ἐπ᾽ ἐξαγωγῇ. Herod. 5, 6. Similia valent de Cappadocibus, Phrygibus omnibusque illis nationibus, quas in servitutem natas Romani vulgo dicebant. [114]) cf. v. c. Ungewitter. Geographie. II. p. 501. sqq. [115]) Ibid. II, 380. 459 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ingruit, tantum abfuit, ut vel civitatum flore atque potentia, vel studiis literarum praeceptisque philosophorum et poëtarum, vel ullo humano civilique cultu posset removeri, ut gravior in dies tristiorque facta in omnem terrarum orbem pervulgaretur et incredibilem quandam hominum multitudinem omni cruciatuum atque contumeliarum genere vexaret. Cuius pestis quum praeter revelationem divinam nulla sit inventa medicina, ea videtur esse generis humani natura, ut sociati inter se homines atque coniuncti igniculos illos divinos, quos in se inesse nunquam plane ignoraverunt, tueri per se ipsi et sustinere nequeant, sed vel occaecati opinionum commentis, vel illecebris cupiditatum inducti ab altissimo illo dignitatis gradu, in quo a deo optimo maximo constituti sunt, se ipsi deturbent.

Sed iam quaeritur, quomodo id ita fiat. Quae disputatio, ne longior sit haec programmatis prolusio certosque et constitutos fines transeat, differenda est in aliud tempus.

Errata quaedam graviora:

Pag. 6. lin. 6. annotation. in voce ἀπαλλαττέσθω desideratur spir. — Pag. 8. lin. 2. annotation. omissa est distinctio minor ante ὦ et ante ὅτι; item pag. 9. lin. 15. ante „obtinet.“ — Pag. 9. lin. 22. mutandum γάρ in γὰρ, τόν in τὸν; ibid. lin. 23. et 26. ᾽Ελλησι in ᾽Ελλησι; pag. 12. lin. 4. annotation. γάρ in γὰρ pag. 16. lin. 12. annotation. ἐστιν in ἐστὶν; pag. 17. lin. 1. et 2. annotation. τινα λόγον in τινὰ λόγον. — Pag. 13. lin. 3 (ab inf.) post „generum“ dele distinction. minor. — pag. 10. lin. 14. minus recte disiunctum est„ sus-picionem; scribe: su-spicionem. — Pag. 15. lin. 6. male scriptum est„ occoecati“; scribe: occaecati. — Pag. 25. duo ultima verba annotation. scribe: χειρώνακτες . . . .), μισθωτοί. — Pag. 27. lin. 6. post „Romani“ dele distinction. minor. et lege transponendo:„ postquam Romani. . .

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf